



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Veri & Pii Sacerdotis Idea Seu Vita R. D. Iacobi
Merlo-Horstii, Pastoris B. Mariæ Virginis In Pascvlo
Coloniæ, SS. Theol. Licent.**

Crombach, Hermann

Coloniæ, 1645

Caput 24. Cura domesticorum & Fratrum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14591

C A P V T XXIV.

Cura Domesticorum & Fratrum.

*Familia-
res & do-
mestici
eius*

*Fratres
duo.*

*Cura eo-
rum.*

*Cōplectū-
tur sta-
tum reli-
giosum.*

MUltis & præcipuis curæ Pastoralis
annis familiam non aluit, ne curâ
rerum temporalium nimium temporis
studijs detraheretur. Itaque cum fratre
solo qui eidem ab obsequijs erat, domum
habitabat Pastoralem; cibi verò vicina in
domo viduæ parati tempore refectionis
per sororem viduæ famulanti infereban-
tur. Fratrem ad Gymnasium trium Co-
ronarum eo destinavit anno, quo Paro-
chiam admisit, ei Religionem ingresso
successit alter, & huic sororis filius. Postea
cùm sororem ascivisset in familiam, mor-
tua vidua cui famulabatur, pauperem
etiam studiosum ferè aluit; omnes verò
domesticos sibi cupiebat quàm simili-
mos, vitæ integritate, morum maturita-
te, & animi perturbationum victoriâ;
quod licet in teneris impetratu difficile,
obtinueit tamen continuâ vigiliantiâ assi-
duisq; monitis: sic verò fratres instituit
ad omnem virtutem, vt prior decurso
Philosophiæ studio, Societatem IESV,
posterior Carthusianum Ordinem com-
ple-

plecteretur, & hoc minorem vterque difficultatem in vitæ religiosæ tyrocinio experiretur, quod ei multis annis sub arctissima disciplina domi prælusissent; eosdem iam Nouitios crebris ad eos datis literis ad perseverantiam in sancto instituto est cohortatus; iisdem affatim librorum utilissimorum submittebat, quibus spiritum acuerent, & munia sua congruenter vocationi & decenter obirent. Ita Coloniensem, Confluentinam, Embricensem & Monasterio-Eiffliacam Bibliothecas Societatis IESV, fratris causâ, multis instruxit libris, vbi morari compererat Patrem Philippum germanum suum. Is etiam de Iacobo hoc testatur literis: *Religiosus extra Religionem vixisse visus est multis; paupertatis perquam studiosus, vt ad rem familiarem propè nimum quàm par erat, attentus videri potuisset; sed eo fine, vt in egenos & ornatum templi posset esse liberalior. De vita innocentia & integritate loquuntur crebra ieiunia, rara & admiranda potiùs quàm imitanda temperantia, cuius fines in nullis vnquam conuiujs, que aut vitabat, aut tempestiuè deserebat, ipsum transgressum esse animaduerti octo ipsis annis, quibus cum eo vixi. Omnes boni Pastoris*

Testimonium P. Philippi de Iacobo fratre.

*Litania
vespertina.
22.*

numeros expleuit, nullam diem abire passus, quin rem diuinam faceret, etiam si iter facere contingeret. hæc ille. Domesticos vesperi certum in locum colligebat, ibi Litaniz cum varijs precibus publicè ipso præeunte dicebantur, & examen conscientiz instituebatur, Dominicis & Festis diebus Euangelium diei congruum vernaculo sermone legebatur. Denique domus instar religiosissimæ familiæ composita, nullus vt strepitus, fabulæ, risus, vel leuitas audiretur; etiam cum exulum familiam cum iumentis admisisset, præter laborantium strepitum, altum vbiq; vigeat silentium.

C A P V T XXV.

Oeconomica viuendi ratio, & prouentuum administratio similis religiose paupertati.

VT verisimilior sit ea multorum Theologorum sententia, Clericos omnium prouentuum suorum esse Dominos, & posse saltem validè de ijs vt suis rebus disponere; Iacobus tamen in praxi tutiorem sibi statuit obseruandam, Christi secutus hoc consilium: *Quod superest, date Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt*

LUC. 11.